

## EXERCITATIO LXX.

*Quæ continet Responsiones ad præcedentes Objectiones, regulam de Oppositis juxta se positis ac ponendis, ut magis eluceant, pluribus rationibus atque illustribus exemplis defendendo.*

1. **S**eria ludicris miscendo multa nobis intrivimus, quæ antequam exedamus, distinctionum aliquot faculas accendamus. Prima. *Oppositi* vox vel sumitur latè, ut simul includat eorum disensionem, quorum unum multis pariter opponitur, vel strictè pro eorum disconvenientia, quorum unum uni tantum opponitur. Secunda. Vox *Contrarii* accipitur vel laxè pro quovis opposito, vel pressè pro certa oppositorum specie. Tertia. *Conceptus* seu cogitatio consideratur vel materialiter, ut rei cogitantis quidam modus est, vel objectivè, seu repræsentativè, ut rei cogitatæ signum est. Quarta. *Distantia* est vel propriè dicta quantitatis, loci, temporis, vel impropriè notat naturæ, perfectionis, virtutis differentiam. Quinta. *Notius* & clarius aliquid est vel naturâ suâ & respectu distinctè cognoscens, vel respectu certi hominis confusè